

*Gilbertus Burnetus*, Celebre in Angliâ Nomen, se illud nec  
in omnibus Græcis, neque in plerisque Latinis, licet 800.  
aut 900. annorum ætatem habeant, invenisse. ( Vide ejus  
Iter Epist. I. p. 144. seqq. & Acta Lips. A. MDC. LXXXVII.  
p. 554. & evolve *Lucam Brugensem*. in Notat. p. 462. Enim  
verò tamen reperiri illud in Genevensi Codice, nec non in  
Bibliothecâ Veneta S. Marci, & Florentinâ S. Laurentii, ut  
& in unò ex quatuor Argentoratensibus, negari neutiquam  
potest. Accedit, quod ipse Simonius cap. XVIII. Critic.  
N. T. fassus sit, versum hunc à modernis Græcis & Latinis  
universis legi, & pro genuino Johannis foetu agnosci. Con-  
fer Acta Lips. A. C. M. DC. LXXXIX. p. 120. f. Et asseruit  
idem egregiè olim Hieronymus in Prologo Epistolis Ca-  
nonicis ad Eustochium præfixò, quem nescio ex quâ causâ  
Erasmum suppressere voluisse, in vulgus est notum. Ne-  
que parvi momenti est, quod eundem Versiculum ut ge-  
mellâ Johannis sobolem agnoverint Patres antiqui, quales  
sunt in secundò Seculo Hyginus, Episcopus Romanus, in E-  
pistolâ I. ad omnes Christi fideles Tom. I. Conc. f. 120. e-  
dit. Binianæ: In tertio Seculo *Cyprianus* in librò de Sim-  
plicit. Prælator. sive de Unitate Ecclesiæ p. 164. In quar-  
tò Seculo *Atbanasius* Tom. I. Opp. f. 109. edit. Comelin.  
& Tom. II. f. 399. In eòdem *Idacius Clarus*, Episcopus His-  
panus Tom. IV. Bibl. Patrum, & in Hæreseologiâ Basileæ  
Anno 1556. editâ p. 257. nec non *Hieronymus*, paulò ante à  
nobis laudatus: Seculo quintò *Victor Uticensis*, Africanus  
Episcopus Lib. II. de Persecutione Vandal. nec non in Se-  
culo sextò *Fulgentius*, in Hæresiol. citatâ pag. 47. &  
Johannes II. Tom. II. Concil. fol. 403. edit. Bin. ille Ruf-  
pensis in Africâ, hic verò Romanorum Episcopus. Accesserunt  
his postea *Ambrosius Ambertus* in cap. 1. Apoc. sec. 8.  
Rodul-